



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. IX. Ideo statim fieri, quod imperat voluntas corpori, quia ex toto vult,  
non autem fieri, quod ipsa sibi imperat, quia non ex toto vult.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## CAP. IX.

*Ideo statim fieri, quod imperat voluntas corpori, quia ex toto vult; non autem fieri, quod ipsa imperat, quia non ex toto vult.*

1. **V**Nde hoc monstrum? & quare istud? Luceat misericordia tua, & interrogem, si forte mihi respondere possint latebrae poenarum hominum, & tenebrosissimae contritiones filiorum Adam. Vnde hoc monstrum, & quare istud? Imperat animus corpori, & paretur statim: imperat animus sibi, & resistitur. Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium. Et animus animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Vnde hoc monstrum, & quare istud? Imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret, nisi vellet: & non fit, quod imperat.

2. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult: & in tantum non fit, quod imperat, in quantum non vult. Quoniam voluntas imperat, ut sit voluntas, nec alia, sed ipsa. Non utiq; plena imperat: ideo non est, quod imperat. Nam si plena esset, nec imperaret ut esset, quia jam esset. Non igitur monstrum, partim velle, partim nolle: sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. Et ideo sunt duæ voluntates, quia una earum tota non est, & hoc adest alteri, quod deest alteri.

V S V S.

## V S V S.

Rogandus medicus cælestis, ut sanet ægritudinem voluntatis, partim volentis, partim nolentis. Volumus bonum, imo non volumus, sed vellemus si arduum non esset: & hæc Velleitas, est voluntas inefficax. Non sanatur verò hæc ægritudo nisi per gratiam Dei, meditationem rerum cælestium, & ingentem violentiam. Tunc voluntas sana est, cum efficax est ad bonum.

## CAP. X.

*Contrarias voluntates non duas naturas in homine arguere, sed unam eandemque animam, diversis voluntatibus æstuantem.*

1. **P**ereant à facie tua Deus, sicuti pereunt vaniloqui & mentis seductores; qui cum duas voluntates in deliberando animadverterint, & duas naturas duarum mentium esse asseverant, unam bonam, alteram malam. Ipsi vere mali sunt, cum ista mala sentiunt; & iidem ipsi boni erunt, si vera senserint, verisque consenserint; ut dicat eis Apostolus tuus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Illi enim, volunt esse lux, non in Domino, sed in seipsis, putando animæ naturam hoc esse, quod Deus est. Ita facti sunt densiores tenebræ, quoniam longius à te recesserunt horrenda arrogantia, à te vero lumine, illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum. Attendite, quid dicatis, & erubescite; & accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescant. Ego cum de liberabam, ut iam servirem Domino Deo

Eph. 5. 8.  
Ioa. 1. 9.  
Psal. 38. 6.

N 6                      meo,